
ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) et (2) vid. pag. 40 et 109.

ANNOTATIO (3) pag. 207.

Meminerunt Marcellinus et Prosper in Chron. et Paulus diaconus lib. XIII. Refert Baronius ad annum 396.

ANNOTATIO (4) pag. 214.

Epiphanius Constantiæ seu Salaminæ in Cypro insula episcopus, humanis rebus exemptus est circiter annum Christi 403. Ipsius adversus octoginta hæreses immensi Operis, quod Panarium inscripsit, nonnisi epitome et Anacephalæosis Augustino cognita.

ANNOTATIO (5) pag. 215.

Hæresum indiculus ab aliquo hic adjectus est : reperitur in plerisque MSS. non hoc loco, sed in fronte libri ante præfationem collocatus, cum hujusmodi titulo : *in hoc libro istæ hæreses continentur.*

ANNOTATIO (6) pag. 218.

Apud Epiphanium et Damascenum *Saturniliani* appellantur, eorumque auctor *Saturnilus*. Sic etiam vocat Justinus in dialogo cum Tryphone ac Theodoretus.

ANNOTATIO (7) pag. 228.

Epiphanius in Panario quidem hæres. LXIII et LXIV aperte profitetur nescire se an Origeniani isti turpes ab Origene Adamantio dicti sint, an ab alio Origene : sed profecto in Anacephalæosi, quæ sola sine Panario venit in manus Augustini de utrisque Origenianis sic dicit obscure, ut priores non ab eodem Origene Adamantio, sed ab alio profectos crederes.

ANNOTATIO (8) pag. 253.

Hic certe finitur Augustini liber : tametsi in codicibus MSS. plerisque addantur Nestoriani et Eutychniani (hæreses utique non ante Augustini obitum nominatæ) et in quibusdam etiam Timotheani, hoc ordine :

« Timotheani dicunt Filium Dei verum quidem hominem ex virgine Maria natum, sed non ita unam reddidisse personam, ut non in unam sit redactus naturam, conflatorium quoddam volentes fuisse interiora virginis, per quod duæ naturæ, id est, Deus et homo, in unam resolutæ et compactæ massam, unam Dei et hominis exhibuerint formam : immutata videlicet naturarum proprietate efficientium coitionem. Et ad confirmandam

» hujusmodi impietatem, quæ Deum asserit a sua versum natura, cogunt Evangelistæ testimonium dicentis : *Et Verbum caro factum est* : quod ita interpretantur, Divina natura in humanam versa est. O abolitionem, illi inviolabili impingentem substantia ! Hujus impietatis initium Timotheus, apud Bizam Bithyniam modo exulans civitatem, continentis et religiosæ vitæ imagine multis illudit.

« Nestoriani a Nestorio episcopo qui contra catholicam fidem dogmatizare ausus est, Dominum nostrum Jesum Christum hominem tantum, (*Plerique MSS. dogmatizare ausus est, Christum Dominum nostrum Deum hominem tantum,*) nec id quod mediator Dei et hominum effectus est, in utero virginis de Spiritu sancto fuisse conceptum, sed postea Deum homini fuisse permixtum : nec Deum hominem passum sepultumque dicebat : vacuare contendens omne nostrum remedium, quo Verbum Dei sic hominem suscipere dignatus est in utero virginis, ut una persona fieret Dei et hominis, propterea sit singulariter et mirabiliter natus, mortuus etiam pro nostris peccatis, cum ea quæ non rapuerat persolveret, Deus homo a mortuis resurgens ascendit in cælum. »

« Eutychniani ab Eutyche quodam Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbytero, (*addit quidam codex, monacho*) exorti sunt, qui cum videretur refutare Nestorium, in Apollinarem Manichæumque transivit, et humanitatis in Christo denegans veritatem, quidquid a Verbo nostræ proprietatis receptum est, divinæ tantummodo ascribit essentiæ; ut sacramentum salutis humanæ, quod non nisi in utraque substantia est, nostram in Christo naturam negando, dissolveret, stulta impietate non sentiens universo corpori auferri, quod capiti defuisset. »

ANNOTATIO (9) pag. 483.

Sic vulgati, quibus MSS. vix aliqui suffragantur. Nam Arnulfensis et Victorini duo vocem, *personæ*, omittunt; alii novem melioris notæ, e quibus est Theodericensis, Gemeticensis, Pratellensis, Regiomontensis, S. Audoeni Rhotomagensis, Sorbonicus, unus S. Martini de Campis, et qui annos circiter nongentos præfert quique olim Veronensis Ecclesiæ fuit Regius codex omisso verbo, *natura*, sic habent, *sed susceptionem inferioris personæ, id est, humanæ*. Ita etiam tributa Bedæ collectio ad cap. 5 Epist. ad Ephes. tum in excusis, tum in Corbeiensi codice sub nomine Flori manu descripto. Quod locutionis genus ea lege intelligendum, qua illud eum veteres dicunt Verbum suscepisse hominem, susceptione videlicet, ut Theologi aiunt, terminata ad hoc ut Verbum ipsum suscipiens existat homo filiusque hominis, quæ est humana persona. Nam alias naturam hominis in personæ unitatem a Verbo susceptam fuisse docet constanter Augustinus, cujus celebrior est illa sententia ex Epist. III ad Volusianum: *Ita inter Deum et homines mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret.*

ANNOTATIO (10) pag. 563.

Etsi vox, *nuper*, ab aliquot annos porrigatur nonnunquam: hoc tamen loco nescimus an proximum tempus denotet. Nam subindicare videtur quæstioni illi (quæ quidem apud Italiam *ab usque Carthagine a Nebridio proponi solebat*, uti legimus in libro VII Confess, cap. 2,

n. 3) responsum istud alterum pro Manichæis redditum esse, non primo tempore propositæ a Nebridio quæstionis, aut eo quo studiose Manichæos audiebat Augustinus, sed aliquanto recentiore, ac forte nonnisi post ipsius regressum ex Italia. Quod si ita est, libro huic Romæ a se scripto locum hunc secunda manu, dum ejus publicationem differt, adjecerit.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.

- De Patientia, pag. 3.
De Hæresibus, p. 211.
Adversus Judæos, p. 255.
De libero Arbitrio, lib. III contra
Manichæos, p. 275.
De Moribus Ecclesiæ catholicæ, et
de Moribus Manichæorum. lib. II,
p. 491.

BIBLIOTHECA GALLICA.

- Ejusdem analysis, tom. XXII, p. 318-
320.
Ejusdem analysis, tom. XXII, p. 77 et
78.
Ejusdem analysis, tom. XXII, p. 78-80.
Ejusdem analysis et fragmenta. tom.
XXII, p. 245-254.
Ejusdem analysis, tom. XXI, p. 148.

INDEX.

TOMI CENTESIMI TRIGESIMI-QUARTI.

- De PATIENTIA, LIBER I. Principio distinguit Augustinus Patientiam
veram a falsa. Hortatur deinde ad eam, quæ vera est, per quam pro
æterna vita et ex Dei amore mala sufferuntur, Patientiam am-
plectendam. Docet postremo hanc Patientiæ virtutem, non liberi
arbitrii viribus, sed divinæ gratiæ adjutorio tribuendam esse. pag. 3
- DE SYMBOLO, AD CATECHUMENOS SERMO I. 25
— — SERMO II. 40
— — SERMO III. 73
— — SERMO IV. 90
- DE DISCIPLINA CHRISTIANA, SERMO. 109
DE CANTICO NOVO, AD CATECHUMENOS SERMO. 123
DE QUARTA FERIA, sive DE CULTURA AGRI DOMINICI, SERMO. 137
DE CATACLYSMO, SERMO. 131
DE TEMPORE BABBARICO, SERMO. 165
DE UTILITATE JEJUNII, SERMO. 183
DE URBIS EXCIDIO, SERMO. 199
DE HÆRESIBUS AD QUOTVULTDEUM, liber. 209
ADVERSUS JUDÆOS, TRACTATUS I. 255
- DE LIBERO ARBITRIO, LIBRI III. — LIBER I. In quo mota questione
unde malum, explicatur quid sit male agere, tumque mala homi-
num facta ex libero voluntatis arbitrio proficisci ostenditur; quippe
cum libidini, quæ in omni facto malo regnat, servire mens a nullo
cogatur. 275
- LIBER II. In quo difficultate ex eo quod Libertas, qua peccatur, a
Deo data sit emergente, tria hæc disquiruntur: Qua ratione Deum
esse manifestum sit; An ab ipso sint bona quæcumque; Utrum in
bonis censenda sit libera voluntas. 304
- LIBER III. In quo quæritur unde ille motus existat quo voluntas ab

- incommutabili bono deflectit; an secum invicem pugnent Dei præscientia de hominum peccatis, et hominum ipsorum in peccando libertas. Mox ostenditur nequaquam id Creatori deputandum quod in creatura ita fieri necesse est, ut voluntate peccantium fiat; et prorsus de creaturæ, quæ peccato obnoxia sit productione ac supplicio laudandum esse Deum. Hinc ad originis vitia perducta disciplinæ declaratur quemadmodum ea haud injuste in Adæ posteros demanent; utque propter hæc ipsa immerito peccantes excusationem obtendant: deinceps vero difficultates nonnullæ huc pertinentes enodantur. pag. 352
- DE GENESI, CONTRA MANICHÆOS LIBRI II. — LIBER I. In quo a Manichæorum calumniis vindicatur initium Geneseos, scilicet ab hocce versiculo, *In principio creavit Deus cælum et terram*, usque ad illum quo Deus septimo die requiesisse dicitur. 415
- LIBER II. Persequitur expositionem Geneseos ab hoc versiculo, *Hic est liber creaturæ cæli et terræ*, etc., usque ad illum quo Adam et Eva de Paradiso ejiciuntur. Ad extremum Ecclesiæ dogmata cum Manichæorum erroribus confert. 450
- DE MORIBUS ECCLESIAE CATHOLICÆ ET DE MORIBUS MANICHÆORUM, LIBRI II.
- LIBER I. DE MORIBUS ECCLESIAE CATHOLICÆ. Principio constituit Augustinus mores illos, quibus in Ecclesia sancte vivitur, ad summum hominis bonum, hoc est Deum referri oportere. Tum summo in eum amore contendendum, idque dogma esse in catholica Ecclesia, utriusque Testamenti auctoritate confirmatum. Quatuor virtutes ex vario quodam amoris Dei affectu dictas ostendit. Agit de officiis charitatis erga proximum, ac refert demum exempla continentiæ et morum vere Christianorum, quæ in Ecclesiæ catholicae alumnis eluxerunt. 491
- LIBER II. DE MORIBUS MANICHÆORUM. In quo refutata diligenter horum hæreticorum doctrina de origine et natura mali, excutiuntur tria illa oris, manuum et sinus, quæ in impiis suis moribus prædicabant signacula, et superstitiosa eorum abstinentia mysteriaque nefanda suggillantur. Postmodum nonnulla in iis deprehensa flagitia referuntur. 546
- ANNOTATIONES. 599
- CONCORDANTIA BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICÆ. 604

